

NOBILI VIRO, D. CYPRIANO LEOVITIO

à Leonicia, excellenti Mathematico &c.

Hieronymus Vvolfius S. D.

**N**ON sine periculo voluntati tuæ morem gessi. Verendum enim mihi esse video, ne & ab Astrologiæ cultoribus paruum gratiam inierim, & à diuinæ matheseos reprehensoribus ridear, ut qui patroni parum disertum nec satis diligentis munere functus, aut etiam præuaricatus sim, & cum aduersarijs colluserim. Ac ipse quidem fateri cogor, ad hanc causam pro dignitate agendam, eruditionem & facundiam maiorem requiri, quam quantam mihi Mercurius, omni præsidio Veneris & Iouis, ut scis, destitutus, & infectis Saturni & Lunæ radijs pulsatus, largiri potuit. Qui autem maius studium, & synceriores clientis amorem ad defensionem afferret: neminem prorsus esse arbitror. Nam si quisquæ mortalium viuít, cui innatum sit Philosophiæ, id est, cognoscendæ veritatis, & omnium bonarum artium, astrologiæ verò inprimis, summum desiderium: is ego profecto fui, & sum adhuc aliqua ex parte: tametsi negare non possum, tot & tam perpetuis Fortunæ aduersationibus, ardorem illum non nihil restinctum esse, ac parum abesse, quin cum perdiscendi spe, discendi quoque voluntatem abiecerim. Quòd si omnia mihi nunc integra essent, & vitam, ut Antipho dixit, tanquam talum transponere liceret: longè aliam rerum mearum rationem inirem: quandoquidem Natura & Fortuna mea ex diametro pugnant. Nam Philosophiæ doctrinam, quam illa <sup>ἐργον</sup> mihi esse voluit, hæc <sup>πάρεργον</sup> fecit, & ab ineunte ætate <sup>πλείω μοι τὰ πάρεργα γέγονε πῶς ἐργον,</sup> ut tum demum veluti nocturno quodam furto philosophari mihi, sed nimium paucis, liceret, cum alijs curis & occupationibus essem vacuus. Vnde factum est, ut animus meus in plures & ferè contrarias res distractus, ad perfectam liberalium artium cognitionem aspirare, & solidam laudem in vlllo genere adipisci non potuerit. Quæ mihi calamitas, etsi non raro Vergilianum illud gementi,

ἄσπετον πένητόν  
μετὰ θείῳ τῶν  
βίον.

Heu nihil inuitis fas quencumque fidere diuis:

æquo animo ferenda est, & facilius sanè ferretur, nisi fato nescio quo (malo certè quidem, ut Aristarchi affirmant) non modo scriptor, sed & <sup>πῶς πολυγράφου εἶς,</sup> si Dijs placet, extitisset, & figlinam non ab urceo, sed à dolio auspicatus, in amplissimum theatrum nasutissimæ literatorum nationis prodixisset, idcirco sæpius,

μακρὰ βιβλία, χερσὶν κρασάων δολιχόσκιον ἔρχομαι

Sed ne longius ab instituto aberrem, non voluntas ornandæ professionis tuæ mihi defuit, sed facultas: ingenij, doctrinæ, eloquentiæ inopia, et exiguum tantæ rei tractandæ spatium conatus meos impediuerunt. In quo si qua culpa commissa est, et commissam esse non negotium, qui temeritatis huius præcipuus autor mihi fuisti, & nihil tale cogitantem, ad euulgandum hoc <sup>πρῶτον μινασμα</sup> impulisti, in eodem crimine mecum hæreas necesse est, & ad vtriusque nostrum defensionem, potentissimi & benignissimi tui Meccenatis omnem opem, omnem autoritatem conferas, nisi forte

Causa patrocinio non bona maior erit.

apud eos præsertim, qui <sup>τὸ ἀκριβοδίκαιον</sup> spectant, nec vllam æqui bonique rationem habent. Nam ab ipsa Vrania, quæ, Dea cum sit, intimos utique pectoris mei recessus perspicit, non modo veniam, sed gratiam quoque me consecuturum scio. Neque Astrologia mihi irascetur, quasi aduersarijs nimium concesserim, quæ profecto tantum odium atque inuidiam nunquam suscepisset, si laudatoribus minus impudentibus vsa, ne dicam si à lenonibus paulò verè cundioribus prostituta fuisset. Inuidum est mortalium ingenium, ait Cicero, & facillimè alienis laudibus offendit, eoque magis, si laudatores multum oris, parum frontis, et minimè pectoris habuerint, et quæ verbis iactarint, re ipsa demonstrare ac præstare non potuerint. Hinc factum est, ut diuina hæc scientia penè in proverbum summæ vanitatis abierit, & graues pœnas alieni sceleris dederit. Verissimè pronunciat Isocrates meus (quid ni verò meum apellem, quæ & maximi facio, & tot vigilijs illustrare studui;) artibus autoritatem conciliare non eos, qui multa insolenter de eis iactare audeant, sed qui id eruere ac proferre possint, quod vnaquaque contineatur, nec iniuria contemni vulgò et derideri eos, qui scientiam futurorum professi, ne præsentia quidem prudenter administrant, hominibus plane indoctis